

33

AD

VI

SCHAESAUS, CHRISTIANUS

ORATIO DESCRIBENS HISTORIAM VITAE  
PRAECIPUAM CLARISSIMI VIRI LEON-  
HARTI STÖCKELII...

WITEBERGAE, 1563

= coll.

KOLOZSVÁR EGYETEMI KÖNYVTÁR

JELZET: B.V.M. 373




34  
23  
ORATIO DE

SCRIBENS HISTORIAM VI-  
TÆ PRÆCIPVAM CLARIS-  
SIMI VIRI LEONHARTI

*Stöckelij, Rectoris Scholæ Bart-*  
*phensis, fidelissimi, qui obijt*  
*Die VII. Iunij.*

*Hu*



VVITEBERGÆ

EXCVDEBAT IACOBVS  
*Lucius Transylvanus.*

ANNO M. D. LXIIL





24 4  
35

CLARISSIMIS AT=  
QUE INTEGERRIMIS VIRIS,  
D. MATTHIÆ GLATZIO,  
Decano generali, nec non Francisco Sali-  
ceo, ecclesiae Byrthalbensis pastori  
vigilantissimo, dominis &  
fratribus.

S. D.



*A*ffirmat S. Paulus fideles Ecclesiarum  
gubernatores dona DEI esse maxima,  
per quos veluti fideles medicos membra à  
corpore Ecclesiae auulsa restituuntur.  
Quod si rem ex æquo æstimemus, plus utilitatis bene-  
ficio talium medicorum in genus humanum redundare  
dicemus, quam ex omnibus totius mundi Myropolijs.  
Hi enim non sunt occupati tantum circa luteas corpo-  
ris tectas, quibus anima humana velut carceri inclu-  
ditur, sed intimas cordis medullas saluberrimo verbi  
pharmaco perfundunt, ac efficiunt, vt sit mens sana in  
corpore etiam minus sano, vt ex hoc mundo velut  
Ptochodochio ad æternam piorum patriam commi-  
grare desiderent. Ac profectò tanto maiore odio di-  
gnus est mundus, quo minus tanta dona agnoscit &  
admiratur, quin potius horribiliter ingratus autho-  
rem DEVM cum suis donis furenter contemnit &  
deridet.

*Hæc mecum repetens ipso die, quo memoria ascensionis Christi in Ecclesijs piorum celebratur non sine magno animi dolore deploravi mortem clarissimi viri D. Leonharti Stöckelij, qui verè fidelis erat animarum medicus, & utile organum Spiritus sancti, utq; aliquantulum ægram à luctu auocarem mentem, breuiter historiam ipsius vitæ præcipuam, quantum quidem per multas occupationes licuit descripsi, vobis verò clarissimi viri eam exhibere volui, ut curriculum huius viri vos minimè lateret, qui cum nonnunquam in similibus tempestatibus iactatus sit, quibus vos in eadem naui constituti, æquiore animo præsentis ærumnas toleretis. Ad hæc ut alios quoq; permouerem, ut honestissimum huius viri nomen amarent, nec non ipsius scripta immortalitate digna auidius legerent, imò quibuscunq; officijs possent, posteritatem huius sancti viri prosequerentur. Postremò ut erga vos studium benè merendi nunquam à me iutermitti cognosceretur, vestrum erit, ornatissimi viri & de meis studijs, & de mea erga vos obseruantia, piè & candidè sentire.*

*Christianus Schesæus.*



# ORATIO.



VM THESEVS CAD A  
uera Argiuorum ad Thebas suis ma-  
nibus abluit, existimarentq; alij indi-  
gnum principe viro tam tetrum labo-  
rem, Respondet quissiam: Οὐκ ἀιχρόν

ἀνθρώποισι μ' ἀλλήλων κακὰ. Huius honestissimi versicu-  
li exemplum secutus, nec meo officio alienum, neq; à  
communi quod abhorreat consuetudine, facturum pu-  
to, si calamitates Ecclesiæ ex obitu præstantium vi-  
rorum ortas deplorauero. Tantæ enim in doctrina  
confusiones, tot semina veterum errorum resuscitata,  
tot deniq; fraudes arte Simonia excitatæ ad extin-  
guendam veri Dei notitiam, doctissimorum homi-  
num præsentiam hac præcipuè tempestate efflagita-  
bant, qui petulantia ingenia auctoritate sua refrena-  
re, lapsos in viam sana doctrina reuocare, rectè verò  
sentientes ab erroribus totos conseruare sua vigilan-  
tia possent. Quanta putatis letitia perfusos fuisse  
Græcos, cum vnà in exercitu suo proficisci viderent  
Aiacem, Achillem, aut Nestorem, quorum consilijs  
& armis totius belli moles adeò fœliciter regebatur,  
vt certam propemodū victoriam ex ipsorum virtute  
reliqui sibi milites pollicerentur? Talibus & multò  
præstantioribus ducibus cum modò orbata sit Eccle-  
sia Dei, qui non gemat, doleat, & procellas lachry-

marum effundat, hunc amentem & prorsus ferreum esse existimem. Non enim Gallici aut Romani imperij opes, sed preciosissimum thesaurum, nimirum veram Dei doctrinam, qua mundus difficilius, quam solis lumine carere potest, incorruptam nobis conseruare poterant. Hunc iustissimum dolorem mihi nuper auxit cum aliorum clarissimorum virorum interitus, tum verò mors immatura integerrimi viri Leonharti Stöckelij, cuius cum eximia eruditio, pietas & auctoritas præcipua apud omnes esset, eum quasi Gorgonem aduersarijs in acie militantem opposuimus. Proinde quantum mærorum Reipub: Christianæ ipsius obitus attulerit, facile is qui communium periculorum vel leuiter conscius est æstimare poterit. Quia verò huius viri res gestæ multa vtilia complectuntur, præcipuas hic commemorandas in animum induxi, idq; eo libentius, quod is patriam nostram & vicinas partes ad veram Euangelij cognitionem, & ad studia optimarum artium percipienda primus adduxit. Cumq; oporteat tyrones excellentia artificum opera imitanda sibi proponere, omnibus proderit, non solum iuuenibus, sed & cuiuscunq; conditionis aut ætatis fuerint, in hunc virum oculos defigere, atq; ad huius mores tanquam ad normam rectè viuendi totam vitam quantumcunq; fieri potest, componere. In hoc enim mira alacritas & cupiditas discendi, mira sedulitas in docendo emicuit, vt citius Solem à suo cursu, quam hunc

à præ



26 7  
à prælegendi labore declinasse dixeris. Magna ipsius  
modestia & temperantia fuit, robur animi prorsus in-  
uictum, ut in hoc verè eorum omnium pulcherrima-  
rum virtutum effulsisse putes, Quapropter non dubito  
vos æquas mihi præbituros aures, ubi ordine & per-  
spicue breuiterq; maxima atq; insignia huius viri orna-  
menta potius delinea uero, quàm enarra uero.

Natus est in ea parte Vngariæ, ad radices mon-  
tis Carpathi, ubi Polonia sese cum Vngaria coniun-  
git. quam hodie Sepusium vocant. Habet autem ea  
prouincia præter alias vrbes Cassouiam maximè cele-  
brem & Bartpham, quarum alterã à Cassio quodam  
Romanorum duce extructam esse, & nomen ipsum &  
ædificiorum mira concinnitas quendam Romanum  
splendorem referens, satis arguit: Bartpha verò etsi  
munitionibus adeò celebris non est, tamen multis &  
verioribus ornamentis hanc atq; alias vicinas vrbes,  
non modo non æquat, verumetiam longè superat. For-  
ma enim Reipub: tam est optima, ut nulli scelerato,  
nulli ocioso, nulli nouas victitandi voluptuosius ar-  
tes dictanti locus concedatur. Contemptores legum  
politicarum & ordinationes pias Ecclesiasticas negli-  
genter curantes exulare coguntur. Ac videntur illi  
ipsi ciues miro quodam fato à maioribus animos à reli-  
gione non abhorrentes accepisse, cum & vetus appel-  
latio Bartphæ à Baratt falro, id est pago Monacho-  
rum

rum deducta sit. Etsi parum honestè hoc tempore videatur à religione Monachorum laudari, tamen eam lucem reuelati Euangelij si habuissent, qua nos Dei beneficio fruimur, neq; fidem, neq; ministerio debitam reuerentiam in ipsis desiderassemus, Quod hinc apparet, cum veritas Euangelij repurgari cœpisset, illi primi & susceperunt, & magna animi contentione cum periculo fortunarum suarum, huc vsq; maxima cum laude constanter retinuerunt & defenderunt. In hac igitur vrbe optimis & pijs legibus munita cum natus sit, ex parentibus qui & ipsi magna cum laude vixerunt, pater præsertim Leonhartus Stöckel, qui Rempub: ibidem aliquot annis fœliciter gubernauit, quis dubitet hunc non piè educatum, & in timore Domini institutum esse? Magna olim laus erat esse natum in ciuitate quæ legibus Lycurgi aut Solonis regebatur. Magnū ornamentum erat dici ciuem Romanum, At multò celebrius ornamentum est esse natum in Repub: Christiana, vbi statim in cunis ab vberibus maternis semina virtutum, notitiâq; veri Dei puero-  
rum animis instillatur.

Puer literas ibidem diligenter didicit, vsus præceptore Valentino Eckio Bauaro, viro omnium literarum atq; virtutum politissimo, qui studiorum suorum hoc tulit præmium, vt laurea coronaretur, qua vulgo Poëtæ consecrari solent. Extant Eckij plurima egregia monumenta soluta simul & Poëtica  
oratio



24 39

oratione conscripta, quibus æternum sibi apud posteritatem nomen acquisiuit. Hunc tantopore ob singularem indolem & auiditatem in discendo amauit, vt non solum tunc discipulum, sed & postea affinem præcipuarumq; actionum, tum domesticarum tum publicarum socium perpetuum habuerit, Et præcipua huius viri familiaritas & incredibilis necessitudo Stöckelium Barthæ retinuit, quo minus ad alias quæstuosiores functiones, tametsi à multis sæpè vocatus sit, progrediretur.

Profectus inde Cassouiam, vbi mediocriter tum Latinae, tum Græcæ linguæ studia florebant, ibi doctorem audiuit Leonhartum Coxum Britannum, qui exul cum filio regio Henrico Octauo in eas partes delatus delitescerat. Hunc fuisse narrant virum acutissimi ingenij, & multis scientijs insignitum, qui ad hoc fastigium summæ dignitatis peruenit, vt cancellarius Anglicus et summus Consiliarius Regis, nec non eiusdem legatus maximus salutaretur. Cum autem Coxum reuocaret fatalis regni mutatio, reuersus Leonhartus in patriam, cœpit parentem obsecrare, vt ad studia ampliora sibi iter sua liberalitate patefaceret. Pater, vt erat moderati ingenij, quem & Reipub: & Ecclesiæ necessitas mirificè ad hoc opus maturandum extimabat, sine vlla difficultate filij precibus annuebat. Atqui cum non multò ære, vt par erat, filium onerare posset, mediocris enim erat fortunæ homo,

B

quales

quales pleriq; esse solent eius loci ciues, Adijt concio-  
natorem reuerenter ab eo petens, sua commendatione  
apud docentes *VV*ratislaviae studia filij promoueret,  
verum quàm fuerit infausta & intempestiua ea com-  
mendatio, saepius ex ipso non sine suspirijs & gemitib.  
audiuimus, addens commonefactionem, ne quis anxie  
de commendationibus, vt modò consuetudo fert, con-  
tenderet, plus enim saepius obesse quàm prodesse  
emendicatas commendationes aiebat. Profectus itaq;  
*VV*ratislaviam, integerrimum virum M. Andream  
*VV*incklerum adijt, cui cum literas exhibuisset inter  
alia in Epistola fortè generis commendatio & patris  
authoritas, vt qui in ciuitate libera & benè morata  
Consul esset, legenti occurrit, haud grauatim operam  
suam Iuueni pollicetur, ratus tamen benè sumptibus  
esse instructum, ita vt de victu alibi disponendo nihil  
admodum loqueretur. Verum enimvero postquam  
omnibus sumptibus breui tempore exhaustus esset,  
summa compulsus necessitate, cuidam Mercatori ex  
amplissima familia Rudigerorum operam suam lo-  
cat, hac conditione interposita, vt interdum literis si  
quando sine graui rerum suarum iactura fieri possit,  
obiter vacare valeat. Vixit igitur totum septennium  
mercaturam exercens, & maximam partem noctis  
studijs liberalioribus impartiuit, die verò officium  
quod gessit fideliter peregit. Erudijt etiam tum tem-  
poris heriles filios & filias in Catechesi, quae summam  
Christia.



28

Christiana doctrina complectitur, & simul verbis  
& exemplo ad honestatem & pietatem animos eorum  
flexit, quæ res imprimis mercatorem diuitem permo-  
uit, vt vnâ cum liberis *VVitebergam*, ad ingenia  
puerorum excolenda honestis disciplinis, *Stöckelium*  
mitteret. Antequam de profectioe dicam commemo-  
rabo mirabilè prodigium, quo sine dubio qualis quan-  
tusq; olim futurus esset, quæ pericula & certamina in  
*Ecclesia* habiturus significatum est. *Accidit vt cum*  
*commilitonibus animi causa non procul ab Vrbe in*  
*Salicetum* expatiaretur, cum alij aliud agerent, is  
vt erat quietis & solitudinis amans, quæ discentem  
multum iuuant, de improviso ab alijs seiunctus librum  
in manibus tenens in paludem præceps cecidit, quasi  
turbine correptus eò delatus arbitraretur. Ab hac pa-  
lude cum diuina gratia citra læsionem difficulter emer-  
sisset, vltèrius progressus socia agmina requisit, rem  
vt acciderat ordine exponit, cumq; nudis pedi-  
bus oberraret, serpens mediocri magnitudine præ se  
inauditam inusitatamq; ferociam ferens, in ipsius sese  
calcaneum dextrum inuoluit, horrendoq; morfu ac pe-  
ne letali sauciavit. Hoc tristi casu affectus in urbem  
redit, vbi medica ope verè diuinitus seruatus est,  
mansit tamen perpetuò signum crude lissimi morsus in  
ipsius cruribus. Terribili hoc portèto quantos visurus  
& experturus esset Sathane morsus ignitaq; tela per  
omnem vitam haud dubiè ostensum est, vsitatum enim

prodigia  
illi amicum

est

est, Heroes adhuc in cunis existentes prodigijs quibusdam ad futura vel gaudia vel certamina inaugurarari.

Platonem  
scimus.

de prodigijs.

de nascentibus  
serpentibus.

remedia  
morborum.

De Platone scribitur, quod in ipsius labijs examen apum mellificauerit, quæ res ipsius insignem eloquentiam præfigurauit. Mida, cuius imperio Phrygia fuit subiecta, puero dormienti in os grana tritici formicæ congeßisse leguntur, quo ostento significatum est eum omnium mortalium fore ditissimum. Non obscurum est homini Christiano, quid serpentis imago referat, intuenti fraudulentis serpentis morsus, qui totum genus humanum in æternum præcipitium coniecit. Scribit etiam Plutarchus ex medullis hominum putrefactis nasci serpentes, quo haud obscure virus Satanae, peccatum videlicet cum morte primis parentibus inflatum ad omnem posteritatem propagari ostenditur. Redeo vnde lapsus eram. Cum iter aggredereetur filius herilis largo sumptu instructus, magna hominum frequentia amicorum, commilitonum, cognatorum, ut moris est, abeuntem extra vrbis mœnia comitantur. Eortè fortuna quidam ex ciuibus conspicatus iuuenem pariter itineri accinctum, grauitèr his sarcasmis ipsum appellat. Quorsum tu, inquit, hominum miserrime properas, vnde tibi sumptus vel ad spatium vnius mensis suffecturi? Tu ne studijs operam cum aliqua fruge impendes, satius vtiq; fuerit te domi apud herum mansisse, vbi victus & amictus, simul etiam rerum omnium copia mediocriter affluxit. Lues profectò imprudentie &



29  
7  
tia & stoliditatis tuæ pœnas. *Hac atroci oratione* civis non plebei, adeò permotum se affirmavit, ut non solum lachrymas profunderet, verumetiam de professione abijcienda deliberaret, vicit demum consolatio, qua Deus se patrem & tutorem pupillorum esse affirmat.

Post ubi portum & Asylum studiorum attigisset, diligenter & magna cum alacritate docentes tum in Templo tum in Academia audiuit, conuersans cū bonis & spectatæ fidei viris, tam in mensa conuictores, quàm priuatim in contubernio cohabitatores eosdem habuit, quorum doctrina & exemplis eousq; progressus est, ut summis viris in Academia D. Luthero, & D. Philippo impense probaretur, sæpè cum his priuatim de multis arduis Ecclesiæ rebus contulit, sæpius ab ipsis interrogatus de statu & moribus deq; situ & fertilitate Regni Vngarici, magna cum uerècundia respondit. Cumq; quadriennium discendo compleuisset, de iudicio D. Lutheri mittitur Islebiam, ut illic iuuentutem disciplina atq; optimarum artium studijs perpoliret, ex quo consilio quilibet bonus huius uiri & eruditionem & pietatem insignem tum fuisse, maioremq; futuram aliquando æstimare poterit. Tanto enim viro placuisse, qui diuinitus ad Ecclesiam filij Dei repurgandam excitatus est, qui non minus quam Apostolorum quispiam aut Prophetarum generi humano profuit, quiq; contra portas inferorum, omnesq;

Diaboli insidias tutus fuit, quantam putatis esse lau-  
dem? Ad hæc non ita tantum placuit, vt leuè benefi-  
cium communeq; cum alijs sibi communicaret, sed ip-  
sum vsq; adeò prætulit, vt longè maximo officio di-  
gnum censuerit, vt qui præesset iuuentuti, cœtui ni-  
mirum Deo & sanctissimis Angelis dilectissimo &  
quodammodo propriissimo & peculiari: Præterea  
non in loco peregrino, sed in sua charissima patria, cui  
senatum esse teste Platone sciebat, huic inquam non  
preciosorem thesaurum, nihil in vita gratius suis po-  
pularibus quàm hunc ipsum Stöckelium, cuius doctri-  
nam & mores vitamq; imbibere atq; effingere quasi si-  
gno sublato præcepit. Postremò miraculum propemo-  
dum est, quod peregrinum hominem ex longè disita  
regione, quæ quidem apud omnes ferè gentes, præci-  
pue apud Germanos audit, quod sit barbara, literis &  
humanioribus disciplinis non perinde exculpta, adde  
etiam non ita longa consuetudine & familiaritate sibi  
deuinctum, vt alij, tam celebri loco, tam honesto offi-  
cio in charissima sua patria præfecerit. Virtus vt dici-  
tur apud hostes etiam laudabilis est. Non immerito  
itaq; ab hoc summo, planeq; in comparabili viri huius  
virtus tanti facta est, vt hoc summum beneficium ab  
eo accipere meruerit. Quot & quantos putatis viros  
authoritate, eruditione, & eloquentia peditos vltro  
aspirasse, vt huius tanti Dei Prophete patriæ in in-  
formanda pube præesse possint. At huic vni tanquam  
præci-



præcipuo hanc deferre prouinciam, qui non summum  
 honorem, qui in hac mortali quidem uita homini con-  
 tingere potest esse ducit, eum amentem esse necesse est.  
 Sciens prudensq; hic prætereo in regenda Schola dili-  
 gentiam & fidem adhibitam, euentus enim probauit  
 ex his initys eum tantam laudem consecutum, ut non  
 solum non esset idoneus ad scholam istam regendam,  
 sed etiam cum aliquanto post *VV*itebergam reuersus  
 per triennium studuisset, vocatusq; communi patrie  
 suffragio ad ecclesias *V*ngaricas restaurandas omni-  
 um *D*octorum calculo ad hoc officium suscipiendum  
 dignus iudicaretur. Horum consilio cum paruisset,  
 haud grauatim patrie necessitate compulsus, *V*ngar-  
 ricæ fines repetit, Atqui ne immodicè crescat oratio,  
 breuius in administrando officio quæ ipsum pericula  
 exceperint, quoue animi robore omnia gesserit, ( quæ  
 pars utilissima est huius narrationis ) commemorabo.  
 Breui tempore huius viri fama multa peragrauit lo-  
 ca, multorumq; animos ad se audiendum perpulit, con-  
 fluxere ex varijs & procul disitis regionibus multi  
 præstantium virorum liberi ex *S*ilesia, vicina *P*olo-  
 nia, *M*orauia, *A*ustria, *T*ransyluania, *R*ussia, *P*rus-  
 sia, maxima verò multitudo ex ipsa *P*annonia. Quo-  
 rum expectationi ut satisfaceret, cæpit inprimis à  
 leuibus initys rem tractare. Nihil præter donati præ-  
 cepta, *C*athechismū continentem præcipuas *C*hristianæ  
 doctrine partes, & fabulas *Æ*sopi, additis his *T*eren-  
 tij comæ

ty comædijs , prælegens. Auditores, vt fit, hortantur præceptorem vt sublimiores authores prælegat. Con- citatus autem grauitè respondit se scire quid è re au- ditorum fuerit, non opus sibi esse legibus discipulorum in prælegendo, Quo factò omnibus autem exemplum præbere voluit, ne paruis fundamentis spretis, cum magno periculo Icarì et Phaëtontis more summa affe- ctarent, aut edocere auditores dissimulando doctri- nam, vt omnia ætate atq; vsu dona crescere intellige- rent, nec spe abiecta de profectu suo dubitarent. Hæc fateor esse puerilia, tamen propter iuniores vtiliter commemorantur. Pergo ad maiora.

In prælegendo tanta sedulitate vsus est, in tanta quidem lectionum varietate, vbi solus omnia sustine- bat, vt non solum Latinè, sed Germanicè quoq; ad ca- lamum expositionem dictaret, cuius diligentiae speci- men nemo vnquam in vlla vel Schola vel Academia audiuit, Adeò ordine delectatus est in omnibus suis actionibus, vt cursum solis imitari exactè conspice- retur. Manè hora secunda surgebat, vespèri hora octaua decumbebat. Lectiones tot & tam difficiles legit, vt nullius penè vires huic oneri pares esse cre- dibile sit. Priusquam in templum ad communes pre- ces faciendas cum Ecclesia conueniret, diligenter ipse legit & orauit, omniaq; ea quæ per diurnum spa- cium auditoribus proponenda erant perdidicit, Tem-  
plum



plum ingressus ipsemet chorum canentium rexit, omnesq; alios suo exemplo ad psalendum DEO studiose inuitavit, Ex templo regressus cœpit aut præcepta Rethorices, aut aliquam Ciceronis orationem enarrare, Postea priuatim in suo Musæo adolescentes nobiliores ad Grammaticam & Catecheseos præcepta instruxit, Publice de hinc vel Philosophiam moralem vel Dialecticam prælegit. A prandio hora 12. vsq; ad 1. Exercitium Musices cum adolescentibus Exercuit. Deinde legit Ouidium, post eã lectionẽ Rursum priuatim audiuit Discipulos. Inde circa tempus vespertinum Apophtegmata Salomonis pueris Germanicis Rhythmis vtiliter inculcauit, Finitis vespertinis precibus, vt vocant, bis in septimana legit Liuium, bis etiam cum non legeret, Græcas lectiones propria sua manu auditoribus, quo facilius describerent, propter exemplariorum penuriam, præscripsit. Hæc quotidie agebat sine respiratione, Imo nunquam erat occupator, quam cum ociosus alicui videretur, quem admodum de se Scipio dicere solebat. Sæpe sub concionibus sacris, cum attente audiret concionatorem, essetq; in loco conspicuo auditoribus diligentia exemplum præbens, scribebat commentarios in Euangelistas vtilissimos, vel in Apostolica scripta enarrationes, quas publice auditoribus proposuit. Familiam domesticam sic rexit, vt Ecclesiæ benè constitutæ faciem representaret. Ipse non secus ac Adam proto-

plastes de DEO & mirandis patefactionibus suam  
œconomiam informabat. Coniunx ipsa honestissima  
fœmina, omnium piarum matronarum illustre specu-  
lum, Euã imitata, Psalmos & pias præcatiunculas fi-  
liabus prælegit, easq; vt expresse canerent & pronun-  
tiarent asuefecit, Scripta adolescentum ingenij exer-  
cendi & formandæ orationis causa, qualibet septima-  
na certo die ad hoc delecto correxit, qui labor, quod  
fideles solum præceptores norunt longè vtilior & di-  
ficilior est, eo, quem in Augiæ stabulo repurgando  
Hercules impendisse memoratur. Disputationes fre-  
quentes in suo auditorio de præcipuis doctrinæ chri-  
stianæ capitibus habuit. Vbi contrarias aduersario-  
rum sententias & corruptelas perspicue & dextre re-  
futauit. In tanto precio habuit Ecclesiasticum ministe-  
rium, & Sacramentorum administrationem, vt omni  
Mense ad sacram Synaxin cum vniuersa sua domesti-  
ca familia accederet. Viuifico corpore & sanguine  
IESV CHRISTI vtens, Crebris etiam obtesta-  
tionibus suos discipulos vt reuerenter de Sacramen-  
tis sentirent his verbis admonuit: Tanta est vis Sa-  
cramentorum, vt si ea domi non haberemus, nudis pe-  
dibus anxie oberrantes in fine mundi ea quærere debe-  
bamus. Quapropter & lege cauit vt nemo hoc sacrum  
Domini conuiuium accederet, prius quam à se bene  
instructus esset de vero vsu cœnæ Domini, deq; offitio  
comonefactus emendationem vitæ fide data promis-  
set.



set. His tantis occupationibus quamuis obrutus esset, tamen & publicij oratoris in regimine politico personam sustinuit, vbi eius sententia in grauissimis deliberationibus à ciuibus honestissimis magna religione audita & approbata est. Cumq; ipsi ciues ingenti curarum mole grauatum viderent, hortabantur vt non nihil à scholasticis laboribus remitteret, inter quos Ecckius familiarissime obsecrabat vt valetudini parceret, alioquin ante diem iustum vitæ terminum sese abrupturum. Ad hæc ille respondit, sibi adeo dulces esse eos labores, vt sine his nec vitam sibi iucundam censeret. Et quo minus tædio afficeretur asuefactione & ordine mirifice sese adiuuari & confirmari in suis laboribus dicebat. Subijciens & illud dulcissimum Psalmistæ dictum, quod pro Simbolo creberrime vsurpare solebat. Psallam DEO meo quam diu fuero. Quare etsi raro contingere solet, vt pij in hoc mundo præmium suæ virtutis recipiant, tamen DEVS ei mediocriter benedixit. ~~Largiendo honestissimam~~ coniugem, ex qua liberos aliquot vtriusq; sexus, pio coniugio dignos suscepit, Amicos & consanguineos quam plures in eadem vrbe habuit. Ornatissimum virum D. Michaelem Rhadashinum Ecclesiæ Bartphensis vigilantissimum Antistitem, & in vicinis partibus præcipuos, Georgium V Vernerum, serenissimi Cesaris Ferdinandi consiliarium, & Sigismundum Geloum Poëtam & medicum præstantissimum.

*canis*  
*2015*

*His etiam annumerandum censeo Illustrissimum principem Iacobum Heraclidis Despotam Moldauiae, qui exilij sui tempore ad hunc Stöckelium veluti portum & asyllum confugit, cuius familiari consuetudine per longum tempus adeo delectatus est, ut in auditorium secutus attentissime lectiones sacras eum interpretantem audierit, A quo plurimum adiutus est apud proceres inclyti regni Poloniae, Lasconem Tyropolitanum comitem & alios, qui belli nervos suppeditantes partes ipsius Despotae in Moldauiae Regno expugnando egregie promouerunt. Amavit denique huius viri nomen usque adeo Amplissimus Lythuaniae princeps, ut filium suum Hyeronimum natum annos sedecim apud hunc in studijs & quotidiano conuictu, per totum fere triennium esse voluerit. Rem familiarem habuit mediocrem, quantum ad recte beateque viuendum homini Theologo conueniebat.*

*Porro quantis certaminibus intrinsecus à Sathana vexatus sit, rerum spiritualium periti facile iudicabunt, Non est enim ignauium ocium ut multi putant, christiana professio, imo verius est militia tanto durior, quo cum hoste non ignaui & imbecilli, sed omnium vigilantissimo atque instructissimo, plus quam mille fraudibus, dimicandum est, nempe Diabolo principe mundi, qui homicida est, & pater mendaciorum. De externis tantum dicam. Quot se bone Deus aduersarijs opposuit? Quot hereses refutauit planèque re-*  
*pres.*



33  
4  
pressit? quod summum officium est boni doctoris. Pa-  
patum ex iisdem locis depulit, aliquoties Apologiam  
istarum Ecclesiarum Inuictissimo Imperatori Ferdi-  
nando exhibuit, eamq; inter seuisimas minas intrepide  
defendit. Varias gliscentes sectas in Panonia de  
Prædestinatione conpescuit, Sacramentarios, qui et  
sedentari dicebantur, eo quod contendebant non alia  
ratione vtiliter administrari posse Dominicam cœ-  
nam, nisi ad mensam sedendo, multis pagellis refuta-  
uit, non solum in vita nunquam, sed ne in extrema  
quidem hora mortis pro amicis agnouit, manifeste il-  
los Antichristi ministros & fœtus Diaboli præcipuos  
compellabat, Stanckarum hominem fanaticum & er-  
ronem & viua voce coram suis auditoribus Bartphæ  
de errore conuicit, & scriptis illustrissimis confuta-  
uit Martinum Calmancheum contentiosissimum ho-  
minem qui maximam cladem Vngaricis Transylua-  
nicis Ecclesijs intulit, varias Doctrinæ sanctæ cor-  
ruptelas spargendo pudefecit. Mathiam Lauterwald  
Elbingensem, cum sua operum necessitate in præsentia  
facienda, ijs enim portentosis vocabulis vtebatur, pri-  
mus in lucem protraxit & coram disputando, cum col-  
legam in eo certamine haberet doctissimum virum  
D. Radaschinum, deuicit. De qua actione quia iudi-  
cium satis probatū celeberrimæ Academiæ Viteber-  
gensis extat, breuius dico. Si Pericles ille moriturus  
præclare secum actum putat, quod ipsius cause nun-

quam Athenienses pullis vestibus induti fuerunt, profecto hic noster plus quam Pericles æquius multo sibi gratulari potuit, quod non solum nõ offendit vnquam rempublicam aut ecclesiam, sed magna & infinita comoda ab ipso totus orbis christianus venturaq; posteritas accepit. Merito igitur huius tanti viri virtutes mirari atq; imitari debemus, eosq; vt canes & angues venenatos odisse, qui vllam maculam eius cum vitæ tum doctrinæ aspergere conantur.

Exitus vitæ placidissimus fuit, nihil asperum in summis afflictionibus contra Deum dixit, Quin potius exemplo Iob benedixit Deo inter medias calamitates, quæ eo fuerunt mitiores, quantumuis atrocius sæuirent, quod sciebat præludia esse, signaq; infallibilia melioris et æternæ vitæ. Cum se præ ægritudine lætæto amplius mouere nõ posset, in proprias aedes auditores suos conuocatos non minore quam antea cum fidelitate erudiuit, Annos vitæ LI. attigit, dimidiam ferè partem in militia scholastica consummens, totos videlicet XXI. annos, Cumq; morbi vis inualesceret laborabat enim vitio epatis, ex multis & crebris vigilijs contracto, audita prius fama de morte celeberrimi viri Philippi Melanchtonis, eo gratius sibi mori visum est, quod confusiones tanti viri mortem secuturas minime visurus esset, sed cum Philippo in sinu Filij Dei placidissimam quietem in omnem æternitatem experturus. Optauit ergo cupide dissolui & esse cum  
Chris



34  
45.

Christo, Nec irritū fuit hoc ipsius votum, decessit enim ex hac ærumnosa vita septima Die Iunij, qui L. est dies à morte Domini Philippi, tristissimum omnibus sui desiderium post se relinquens. Quare gratulemur ipsi hanc summam fœlicitatem, quam & nos cum omnibus electis Dei consecuturos speramus. Nostri vero causa lachrimarū procellas fundere debebamus, qui tam fideli Nauta & Auriga spoliati summus, cui quasi fulcro & honestas, & pietas rerumq; publicarum & Ecclesiarum incolumitas incubuit. Colligit enim Deus grana, paleam igni comburendam relinquens Quia vero lachrimis parum admodum proficitur, adiungendæ sunt ardentissimæ preces, vt Filius Dei Ecclesiam suam huiusmodi salutaribus organis deinceps quoq; ornet, ne ipsius notitia Epicuræorum & fanaticorum hominum furoribus ingenere humano prorsus extinguatur. Ac nos præcipuæ ea cura tangere debebat, qui sacra, ius fasq;, indignis modis profanari à Mahometico cyclope quotidie coram videmus, quiq; extremam vngariæ ruinam vastitatemq; Barbaricam impendere experimur. Nec obscurum est his malis Deum ostendere, quod vineam suam supra modum sterilem & ingratham non velit sepire, fodere, & amplius curare, sed neglectam feris conculcandam relinquere, quemadmodū apud Prophetã minatur. Tædet iam filium Dei diutius hospitem esse nostrum, quē cum omnibus suis beneficijs tam frigide tractamus.

Quare

*Quare sedulo cum Apostolis ingeminare has preces altis suspirijs debebamus, qui ad Emaunta Christum volentem longius abire hac obtestatione vt maneret urgebant:*

*Vespera iam venit nobiscum Christe maneto.*

*Extingui lucem ne patiare tuam.*

*Hortor etiam omnes pios vt aeterno Deo gratias agant, pro tam saluberrimis donis, ipsorumq; doctrinam, & vitæ morumq; illustria exempla pro sua quisq; vocatione sedulo imitari studeat, Quod aeternæ cum erga ipsos tum erga Deum gratitudinis testimonium futurum est. Hic canam receptui, ne prolixius dicendo huius viri veras laudes videar hac in compta oratione potius obscurasse quã illustrasse, Perinde est enim frigide laudare ac vituperare.*

**DIXI.**



35  
48

# EPI TAPHIUM

Quem pietas celebrem, Doctrinaeque plurima fecit,  
Stöckelius cineres hic Leonartus habet.

## DE MORTE EIVSDEM LEONARTI STOKELII.

Ad ciues Bartphenſes.

L uge Bartpha tui triſtiſſima funera patri  
E repto hoc ſaluum nil tibi namque mane  
O mne decus quod habes tibi ciuis cōtulit iſt  
N ullus in hac ſimilis parte futurus hui  
A rtes explicuit, fido & pia dogmata cord  
R ectis uita fuit moribus aucta ſimu  
T erribilem Chriſti ſe inimicum præbuit hoſt  
V ictor & tua ſit uindice ſæpe man  
S piritus accepit cœleſtia regna tonanti

S  
T  
E  
C  
E  
L  
I  
V  
S

Exuias tellus corporis eius habet.

Huius amate uiri, nec ab his diſcedite, ſcripta,

Quidquid ab his ſcriptis diſſidet error erit.

Bartpha tibi prolem triſti cum coniuge liquit,

Hanc quacunque potes parte iuuare iuua.

D Et uos

Et uos o pueri tanti uestigia patris,  
Non pigeat uitæ tempus in omne sequi.

## ALIVD EPITAPHIVM

Huius Bartpha uiri multis innotuit oris  
Laudibus, hic patriæ præmia digna dedit  
Non fuit ingenio similis pietate nec arte  
Carpathe Pannonicum, quæ premis alte solū  
Præfuit Aonidum studijs foeliciter annos  
Bis denos, Ach nūc membra sepulta iacent.

